

Maxima præsentis nunc portio transiit anni,
Rursus & autumnum lux acceptissima signat,
Quâ Deus Angelicas propius spectare cæteras
Postulat, & victi lustrare trophya Draconis.
O sanctæ mentes, ô intemerata Jehova &
Lumina corpoream non horrescentia molem;
O vegeti Heroes, seu vos custodia nostri
Pervigilare jubet, seu fortior imminet hostis
Vires insidiis addens, & viribus iram;
Vestrae quidem bonitas primâ virtute perennat,
Vita nec assiduo quicquam consumitur usu;
Vivitis & grandem juveni sub flore senectam
(Si senium numerat sancto qui durat in ævo)
Transfigitis, fejsi tunc dissimilesque futuri,
Cum Deus exhaustam cogetur ponere dextram,
Nec fluet ulterius, quod concitat omnia, flumen.

Dicite sed sancti Genii, si quereret efas est,
Cur oculos fugitis nostros? qui cuncta repletis
Atria Terrigenum, qui fixis undique claustris
Quascunque in latebras facili perrumpitis æstu.
An quia peccatis oculos languescere nostros
Constat, ad excelsas vetitum est assurgere flamas?
Aut quia vult tentare fidem Deus, atque videndo
Quæ tangi nequeunt potius credendo probare,
Vestra etiam tecta est facies, sed ut actus in ipso
Fulgeat effectu, monstrantque opera inclyta causam?

In-